



	PAG.
pistola ency-	
s litterarum	
is catholici	
obitu Dantis	
.....	86
epistola en-	
anno cele-	
us, Ordinis	
migravit	140
V allocutio	
xxi mens.	
.....	194
Francesia)	
08, 144, 162, 180	
ininitatis . . .	15
.....	17
.....	33
Mariae . . .	50
epigramma . . .	68
.....	68
ponis intem-	
.....	85
corcelli . . .	105
.....	124
.....	142
.....	177
dendi ratione	195
.....	196
resimae tem-	
.....	33
.....	51
.....	69
.....	85
.....	106
visco tectis	125
.....	142
Confratrum . . .	178
125, 143, 179, 196	
125, 143, 179, 196	
.....	23
professionis	
I. B. F.) . . .	25
.....	40
I. B. F.) . . .	65
perl) . . .	80
Francesia) . . .	134
ad Magella-	
F.) . . .	153, 172

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae: In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano - Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Meratale - Messina - Milano - Modica - Mondovi - Monteleone Calabro - Montesampietraneli - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietra - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto Santa - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Roma - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exteras gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafir El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

Omnia retractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus et Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae.** - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.
(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.*)

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

“ ALMA ROMA „
IN ANNUM MCMXXII

Non opus certe habemus, novum annum ingredientes, multis verbis socios et lectores nostros prosequi, illos praesertim qui laboribus nostris, quos libenter complexi sumus et sustinuimus, primis iam ab ALMAE ROMAE incunabulis sese adjunxerunt, eosque fidelitate sua abunde probarunt. Sed si eorum exspectationi satis nos respondisse pro sua humanitate nobis ii significarunt, liceat nobis aperte fateri exspectationi nostrae haud satis fuisse adhuc in universum responsum. Scimus difficilissimis temporibus in lucem nos venisse et vivere; at scimus pariter et videmus, longe nimis adhuc ab illa meta nos distare, quam in certamen descendentes nobis proposuimus et assequuturos post non longum tempus esse confidebamus. Scilicet firma spes erat, quem re ostenderemus latinum sermonem nobilem semper, flexibilem aptissimumque ad omnia, vel hodiernae vitae, exprimenda adhiberi posse, fore ut idem, - qui per Christi praeципue Ecclesiam toto orbe, vel in longinquis maxime remotisque regionibus, est diffusus et viget, - sermo inter doctos universus, nunc tam studiose ac sollicite exquisitus, profecto recognosceretur et fieret; atque Roma humanitatis centrum restitueretur mente et lingua quoquoversum radiantis. Ex adverso tantam negligentiam et incuriam, vel in iis, quibus maxime cordi res esse deberet, animadvertere et perpendere coacti sumus, ut eam dementiam prope dicere non dubitaverimus; quippe quibus rationi haud succurrat cogitatio damnorum, quae scientiae ingenuaeque doctrinae, non amplius ex suis ipsis fontibus haustae, erunt profectura... Ecquid igitur? An vexillum nostrum inclinemus gradumque ex acie referamus? Minime gentium; imo eo altius attollimus, et dum sufficient vires, apud signum a nobis statutum manebimus, optimamque eius causam nostra dextra quantum in nobis erit sustentabimus!

Atvero non uni nos tantum: necesse enim est ut socii omnes, quotquot ubique sunt, opem suam conferant; necesse est ut quisque ex parte sua propositum, quod commune habemus, tamquam praeconii munus sibi suscipiat, idque sive agmen nostrum inter amicorum numerum augendo, sive excellētem speciem et formam a nobis simul de latinitate conceptam quam latissime adumbrando. Quid ad nos attinet, nullum studium, nullam curam praeteribimus ut favorem in dies ampliorem nobis conciliemus, et in incoepitis perseverantes novaque pro opportunitate augentes, in ALMAE ROMAE maxima varietate rerum, quas per annum tractabimus, Horatianum illud « simplex et unum » consequamur.

* *

Quae autem normae huius anni subnotationem moderatura sint, eae iam in superiori mensis Decembribus fasciculo vulgatae sunt. Pretium annuae consociationis idem manebit, quod superiore anno fuit, nempe:

Pro Italia.	lib. 12 —
» Gallia, Helvetia, Belgica	franc. 15 —
» Hispania	peset. 15 —
» Graecia	drach. 15 —
» Batavia	flor. 7,50
» Anglia	shell. 12,50
» Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada	doll. 3 —

Pro ceteris nationibus erit summa *Gallicos francos* 15 aequans. Qui autem per pecuniam aliis civitatis pretium mittat, idem aequabit cum permutationis pretio, die transmissionis vigente, et qui acceptilationis testimonium desideret, pro eodem adcat publici cursus pretium. Praeterea eos rogamus, quorum consociationis finis per annum occurrat (suntque multi, quibus id mense Maio contigit; mense enim Maio MCMXIV edi commentarius coepitus est) ad meliorem ordinem per nos in administratione assequendum velint, pro sua humanitate, eamdem consociationem cum fine anni MCMXXII exaequare, congruamque pecuniae summam mittere.

Nec denique inutile erit leges circa consociationem revocare, iam diu a nobis positas, quippe quae immutatae permaneant; nimirum:

1. *Consociatio ad anni exitum non retractata pro redintegrata habetur;*

2. *Qui ALMAE ROMAE specimen habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit* (quod nullo impedio facere poterat, siquidem quae a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea ad mittentem restituuntur) *tamquam socius valide reputabitur.*

Monemus quoque socios, et veteres et recentiores, apud Administratorem nostrum acquirere sese posse tum Milesias lepidas fabulas latine descriptas, scenis apud ephebea facile agendas *Fridianum* et *Franciscui prandium*, singulas pretio lib. 1,50; ambas pretio lib. 2,50; tum fasciculum, cui titulus *Communia vitae*, in quo continentur phrases et formulae ad latina colloquia instituenda de salutationibus, de valetudine, de morbis et medicamentis, pretio lib. 2,10; tum denique Herminii Iacobelli opus

inscriptum: *In campo latinitatis novi flores*, recentiorum rerum lexicon parvum itemque perutile, pretio lib. 3 si tegumento solutum; lib. 4 si xyloina structura aureoque titulo eleganter ita contextum, ut memoriae ergo atque donationis praemii gratia optime offerri possit. *Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubant, addendum erit publici cursus pretium*, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.

ALMA ROMA.

QUID APULEIANA APOLOGIA DE GRAECIA DEQUE Scriptoribus GRAECIS NOS EDOCEAT

Quod hīc affero specimen, non totum Apuleium de Graecia deque scriptoribus graecis iudicantem complectitur, sed illud tantum opus,¹ in quo scriptor Madaurensis, iam litterarum studiis insignis, copiosissime et disertissime se ipsum contra suos accusatores defendit, quodque *Apologetia* inscribitur, seu *de Magia*. Nimis enim longus sim, si innumeros eos locos afferre velim, in quibus Graeciae graecorumve auctorum mentio facta est. Constat Apuleium litteris graecis perdiscendis plurimam operam navassis, et utraque lingua scribere fuisse solitum; quin etiam, adeo in graeci sermonis studium incubuisse, ut non dubitaverit et e graeco fonte multa repitere in suas commentationes inducenda et aliquot graeca scripta in latinam linguam convertere. Legimus enim in *Floridis* - de quo libello adhuc disputatur, num sit aliquid excerptum ex Apuleianis declamationibus, an quaedam *locorum communium* collectio, quibus auctor usus sit in *promptissime* disceptando, an huius-

modi aliquid: « Prima cratera litteratoris ruditate eximit, secunda grammatici doctrina instruit, tertia rhetoris eloquentia armat. Hactenus a plerisque potatur: *Ego et alias crateras Athenis bibi; poeticae commentam, geometriae limpidam, musicae dulcem, dialecticae austeralam, iam vero universae philosophiae inexplicabilem scilicet et nectaream* ». Ex quo loco patet quantum Athenis ille debuerit et quantum illud domicilium ac sedes studiorum sibi profuerit. Exstant autem apud Priscianum (*Gramm. lat. 2 p. 511*), duo fragmenta illius Phaedonis Platonici ab Apuleio translati, quibus vero nihil est commune cum illo latiore fragmento quod Claudianus Mamertus servavit (*De statu animae*, 2, 7): appetit igitur Apuleium in *Phaedone* convertendo elaboravisse. Sed non est hic locus diutius morari et inquire quantum Apuleius ad graecas litteras attenderit, quum et satis constet nonnulla eius opera dupli stilo, idest graeco et latino, exarata esse, et uno quoque operum graecitatis vestigia late inveniri. Veno igitur ad id quod mihi breviter demonstrandum suscepi.

* *

Praecipuum locum inter poetas ab Apuleio memoratos habet Homerus, cuius doctrinae et facundiae magna laus tribuitur. Is enim est poeta *multiscius*, vel potius cunctarum rerum adprime peritus (c. 31); et omnis vetustatis certissimus auctor

¹ Hoc opus prae aliis Apulei placuit eligere, quippe quod plura nobis de Graecia deque scriptoribus graecis testimonia exhibeat.

(c. 40). Alibi extollitur Homeri *diserta* paupertas, prae iusta Aristidis, benigna Phocionis, strenua Epaminondae, sapiente Socratis (c. 18). Versus quoque Homerici afferuntur, ut Iliad. III, 65 sq.:

ὅστα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἐκὼν δ' οὐκ ἀν τις ἔλοιτο,
οὐ τοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρυκνέα δῶρα,

quos ita explicat Apuleius: « Munera deum gloriosissima nequaquam aspernenda; quae tamen ab ipsis tribui sueta multis volentibus non obtingunt » (c. 4).

Neminem latet iudicium hoc Apuleianum de Homero minime comparari posse cum Quintiliani X, 1, 47, qui tam recte et subtiliter antiquissimi Graecorum poëtae virtutes dimensus, eleganti stilo enarravit. At quae Apuleius habet, etsi haud multa, magni quidem momenti sunt ad Homericae poësis proprietates definendas. Quintilianus enim docere vult oratorem genera ipsa lectionum, quae praecipue ei convenire existimet, idcirco fusius disputat de Homero deque eius peritia affectus mites vel concitatos describendi; Apuleius vero doctrinam Homericam considerat – praesertim istum locum, in quo Homerus vim omnem medicaminum non mari, sed terrae adscribit, quum de quadam saga ad hunc modum memorat: ὅτόσα φάρμακα ἥδη, ὅσα τρέφει εὐρέια χθών (Iliad. XI, 740) –, vel fidem Homericam laudat, ut ob illum locum in quo Homerus facit Ulixii de vulnere sanguinem profluentem sisti cantamine. Quorum amborum existimantium, Quintiliani et Apulei, alterum iudicium ad bene dicendi scientiam spectat, alterum ad rerum notitiam.

Ex poëtis tragicis Aeschylus non memoratur in *Apologia*; sed quum in cap. 30 legatur: « Memorasse tibi etiam Theocriti paria et alia Homeri et Orphei plurima et ex comoediis et tragoeidiis graecis et ex historiis multa repetisset, ni te dudum animadvertissem graecam Pudentillae epistulam legere nequivisse », facile

est observare *paria* ex tragoeidiis graecis deprompta etiam ad Aeschylum referri posse.

Euripides semel occurrit, sed de eius arte tragica nihil inititur. Contra, Sophocles multa laude memoratur: cuius et illud factum memoratu dignum traditur, quod etiam apud Ciceronem (*Cat. M.*, 22) est, scriptorem Coloneum, iam aetate grandiorum, accusatum a filio suomet dementiae, tragoeidiam quam forte tum conscriberet, legisse iudicibus, et Oedipus Coloneus *peregregia* tragoeidiarum iudicatur, « ob argumenti sollertia et cothurnum facundiae ». Quod si scribit Apuleius (c. 37): « Ibi ego *comperior* omnis iudices tanto poëtae (Sophocli) adsurrexisse, miris laudibus eum tulisse ob argumenti sollertia et coturnum facundiae », non colligendum est Apuleium hoc iudicium eisdem tantum verbis retulisse, quae in antiquo fonte, seu auctore invenisset, sed illud mutuum diligenter expendisse et paene concoxisse. Dissideri potest ab Apuleio de *Oedipo Coloneo* *peregregia* tragoeidiarum iudicata, quum omnes poëtarum iudices communi consensu *Oedipo tyranno* pulchritudinis summaeque virtutis palmam deferant: sed scriptorem Madaurensem vehementer commoverunt et honestas exitus Oedipi, iam senescentis, qui hospitio acceptus Coloni, occulte elapsus est in Iuco Eumenidum, futurus Atticae heros praeses, et mira felicitas in sensibus describendis, et suavis pietas Antigones, et choroi simplicitas, qui primo perterritus, audito advenae nomine, postea a Theseo confirmatus, summo cum honore et gratia se nomencepit, etc....

Quantum vero attinet ad cothurnum facundiae, idest ad stili sive dicendi generis nobilitatem, etiam Quintilianus (X, 1, 68), quamquam plura habet de Euripide, quippe qui utilior sit iis, qui se ad agendum comparant, una cum gravitate et sono *cothurnum* laudat in Sophocle.

Accusatus fuit Apuleius quod versus ludicos et amatorios fecisset: at poëta se purgat hoc crimine, Graecorum usus exemplo, qui id genus carminis laudabiliter tracarunt. Scribit enim: « Fecere tamen et alii talia, etsi vos ignoratis: apud Graecos Teius quidam et Lacedaemonius et Cius cum aliis innumeris, etiam mulier Lesbia, lascive illa quidem tantaque gratia, ut nobis insolentiam linguae suea dulcedine carminum commendet... », (cap. 9). His verbis omnes fere poëtas *Aeolios* complectitur, qui versibus amatoriai luserunt. Neque ille istorum poëtarum scientiam simulat, sed intelligens esse debet existimator et Anacreontis, et Alcmanis, et Simonidis, vel Bacchylidis, et illius Lesbiae poëtriae, cuius carmina tanta erant gratia lasciviae perfusa, ut etiam nunc reliquiae legentium animos permulcent. Quod si poëtae graeci non suo quisque nomine memorantur, sed promiscue et generatim per adiectivum loci in quo nati erant, addito *quidam*, non inde efficitur Apuleio parum esse cognitos, eorumque artem perfectissimam eum latere; sed id existimandum est ita eum voluisse ludere et suis accusatoribus irridere, ut rudem adversariorum ignorantiam patesceret, quippe qui vix scirent quis esset Anacreon! Eodem modo satiricus ille noster poëta Giusti, quum vellet in carmine *S. Ambrogio* Austriacos ludificare, nostrorum rerum nostrique ingenii turpiter imperitos, vel potius minime aptos ad ea percienda, parum reverenter de Manzonii illa fabula milesia loquitur, quum dicit:

*di quel tal Sandro, autor d'un romanzenzo
ove si tratta di Promessi Sposi ...*

Dixi *parum* reverenter, et ita videri potest prima specie; sed consilio poëtae intellecto penitusque explorato, verborum

immodestia in amplissimam sinceramque eiusdem milesiae fabulae laudem dissolvitur.

Quum hic mentio facta sit versuum amatoriorum, quibus Apuleius accusatus est tamquam magicae artis peritissimus, non potest silentio praeteriri eum quoque Solonis studiosum fuisse. Scribit enim (cap. 9): « Num igitur etiam Solonem fuisse severum virum et philosophum negabis, cuius ille lascivissimus versus est: μῆρων ἵψέρων καὶ γλυκεροῦ στόματος? ». In eodem capite sequuntur versus aliquot ab eo conscripti, de quibus nihil audeo dicere, quum nec sciam utrum laudandi sint an potius vituperandi ob rerum exilitatem et formam implicatam ac plenam agnominationis. Utcumque autem ii sunt, quum faciebat, ad antiqua Graecorum exemplaria conversus, quis dubitat quin inde nonnulla in sua carmina conscribenda deproprietat, et graecae poëseos amatoriae vim ac virtutes calluerit?

Inter oratores graecos merito extollitur princeps Demosthenes, cuius illud quoque memoratu dignum narratur, se ante speculum causas meditari solitum fuisse, ut pronuntiandi congruentiam peteret, et maiore vi ac spiritu eas diceret: « Demosthenem vero, primarium dicendi artificem, quis est qui non sciat semper ante speculum quasi ante magistrum causas meditatum? Ita ille summus orator, quum a Platone philosopho facundiam hausisset, ab Eubulide dialectico argumentationes edidisset, novissimam pronuntiandi congruentiam ab speculo petivit » (c. 15). Credit Apuleius Demosthenem se in disciplinam Platonii tradidisse, quum ita colligatur ex quadam oratoris mentita epistula. Etiam Cicero (*Orator*, 4) habet: « Quod idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistulis intelligi licet, quam frequens fue-

rit Platonis auditor». ¹ Quod vero minime credi potest, et quod epistula quae sub nomine Demosthenis circumfertur, simulata est, et quod ipse Plato arbitrabatur verum sapientem ignorare posse viam ἀγορᾶς, sive tribunalis. Quum autem Platoni chartae omnium in manibus versarentur, dubitari non potest quin etiam Demosthenes legerit, et inde nonnulla mutuatus sit. Sed his rationibus sepositis satis sunt ad id quod demonstrandum suscepimus, illa Apulei verba *primarium dicendi artificem* et *summus orator*, quibus tota vis eloquentiae Demosthenicae continetur. Inveneris apud Quintilianum (X, I, 76) plenius elegantiusque iudicium de Demosthene: «Quorum (oratorum) longe princeps Demosthenes ac paene lex orandi fuit: tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redundet invenias». At praeterquam quod Quintilianus iterat easdem res, ut facile videri potest in extrema iudicii parte, necessario debebat fusius dicere de Demosthene, quum sibi oratorem instruere proposuisset; contra autem Apuleius, mentionem iniciens de speculo, poterat omittere illud: *primarium dicendi artificem* et *summus orator*. Quod si fecit, aperte ostendit se non solum ad omnium optime de Demosthene iudicantium opinionem accedere, sed etiam sibi ipsi eiusdem iudicii rationem reddere. Neque licet affirmare Apuleium fecisse suum illud Ciceronis iudicium de maximo Graecorum oratore: «... unus eminet inter omnes in omni genere dicendi» (*Orat.* 29, 194), quamvis vero Arpinas mox addiderit: «Non semper implet aures meas (Demosthenes): ita sunt avidae et capaces, et semper aliquid immensum infinitumque desiderant». Si id affirmarem, ma-

gnam sane iniuriam facerem ingenio sapientiaeque Apulei, qui non erat is, quem illius dicendi generis vis et copia splendorque verborum et mira facultas affectuum concitandorum non commoverent. Forsitan ad id quod dicit de Demosthene, aliiquid contulerit et quod habet Cicero, et Plutarchus et Quintilianus, qui omnes magnis laudibus oratorem graecum extulerunt. Adde quod Latini communis consensu illum celebrabant, etsi vellent illi, quasi aemulum, suum Ciceronem oppondere. – Sed nullo modo negari potest Apuleium vehementer orationes Demosthenicas admiratum esse.¹

(*Ad proximum numerum*).

MARCUS GALDI.

¹ Quam haec verba Apulei simpliciter parceque dicta «*primarium dicendi artificem*» apud Valerium Maximum (VIII, 7, 7 ext. 1) diluuntur! Habet enim: «*Demosthenes, cuius commemorato nomine maxima eloquentiae consummatio audientis animo obritur...*».

FRANCISCUS SALESIUS

Ut auspicatissimum diem iure laudibus memorarent, quo sanctus Franciscus Salesius, ab hinc trecentos annos, *meruit beatas scandere sedes*, eius devoti ac clientes optimum factu putarunt, si identidem eius praeclera merita, tum pro religione tum pro litteris conquisita, per omnem annum MCMXXII in medium ferrent atque alacriter celebrarent. At nos cogitantes quodammodo de rei opportunitate ageremus, magnificenter, qui suus est mos, Benedictus XV, P. M. adclamantibus omnibus praecucurrit, atque elegantissimam epistolam Episcopis dedit, qui late sunt in orbe terrarum, ad ornamentum illud

Ecclesiae decorandum, qui vir ille sanctissimus et doctissimus aetate sua fuerit. Tanti nos Magistri exemplum sequuti, haec interea paucula de eius vita delibamus.

Franciscus Salesius, Genevensium Episcopus, anno millesimo sexentesimo secundo et vigesimo, Lugduni in Gallia, repente morbo interceptus, placidissime ac pientissime vitam finivit. Hic nobilissima gente apud Allobrogos prognatus, a prima iuventa sacras disciplinas ita arripuit, ut terrenis omnibus munieribus posthabitis, nomen sacrae militiae, perperam reluctantibus parentibus, dederit. Et Dei in primis amorem studiumque religionis cum perpetua in errantes caritate coniunxit. Quo facto ad caelestia unice spectans, mortalia contemptus, generisque dignitatem virtute cumulavit. Atroci tempore nullisque periculis deterritus, inter aequales ita coepit virtutibus explendescere, ut, hoc nomine, illustres sibi amicitias domiforisque conciliaret. Mox ob ingenii celeritatem et doctrinae praestantiam, sacerdotio auctus, egregiam Episcopo suo operam navavit.

«Vi vacuus, splendore carens, modo sacra ministrans», insignis in haereticos impetum fecit. Quum Calvinianorum doctrina finitimas Dioecesis suae regiones infecisset, ipsamque honoris sui sedem foedanter obtinuerint, ipse veritus, ne forte in alias etiam irrumperent, nihil antiquius habuit, quam ut totis viribus maximoque studio patrum religio incolumis servaretur; et simul viros pietate insigneis advocavit, quorum opera Dioecesis soboles iis artibus formaretur, quae ad humanitatem pertinent.

Incredibile dictu est quot labores sustulerit, quot pericula divinitus, ab haereticis parata, declinaverit!

Invictum a terrenis cupiditatibus animum exhibuit, et nullius infortunium a se alienum putavit. Mirum sane videtur quod

ipse tot laboribus detentus curisque, animum ad conscribendum adpellere potuisse! Quot opera, horis subsecivis, conscripsit! Et in eius operibus tot virtutes eluent, ut in ipso totas vires suas sapientia sui temporis christiana experta sit. Quis enim docere diligentius, movere vehe-mentius potest? Cui tanta unquam iucunditas affuit? Iam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat. Quum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intensissima cura consequi posset, fluant illaborata, et illa, nihil pulcrius lectu est, oratio praesefert tamen felicissimam facilitatem.

Ad haec devotam virginum familiam constituit, domosque complures alumnis sacrorum instituendis aperuit, receptusque plebi exercenda, tutanda re atque consilio adiuvit. Pius, comes, mitissimo inge-nio, in ipsis editis operibus effigiem animi sui reliquit. Singulari consilio, lenitate atque industria episcopale munus sustinuit. Sui ubique securus, posthabita etiam valedicte, ab officiis religione nunquam declinavit. Huic et illa fortuita aderant omnia: gratia vultus, vocis iucunditas, morum suavitas, memoria rerum verborumque plane singularis. In munere suo obeundo, promptos unicuique aditus, obviam comitatum exhibuit.

Eum insigne saeculi sui miraculum passim advocabant, ac vel inter vivendum sanctum divinumque credebant, a Deo mirabiliter missum praedicabant, ut pravorum hominum superbiam atque inanem iactantiam comitate, dulcedine, ipsa vitae sanctitate protereret.

Hunc ideo iure meritoque omnes salutant, omnesque ad tam excelsum virum honorandum cum Pontifice Maximo ex animo obsequuntur et sanctissimo viro suffragante, novum rerum ordinem, catholico Nomini faustum, felicem ausplicantur

J. B. FRANCESIA.

¹ Cfr. etiam *De orat.* I, 19; *Brutus*, 21; PLUT, *Dem.* 5.

SÈMEN IMPIORUM PERIBIT

(Metrum Priapeum Prudentianum).

*Ridiculis, Nero, te scurram procerum manu theatris
 Turpiter haud satis efferri? neque sat tibi, o Princeps,
 Purpuream trabeam vilis maculare honore vulgi?
 Infremit heu! Feretri signum, Capitolii in sacello,
 Vix anathemata priscorum nihili putans ad aras
 Mysta nefandus adis ... Hic, hic Latio vovet Quirinus
 Alta sacraria, Caeninae cuneis neci propulsis,
 Regia rexque Iovi belli spolia; et Pater venustae
 Pectore tradit in aetates memori tuenda Romae:
 Gloria splenduit hic nunquam nisi nobilis catenae
 Murmure, cuius acerbe ictos puduit duces. Quid audes
 Ludere Palladium numen, Iovis et sororis iram,
 Scurra, tui inclita quae testes populi canunt trophyea?
 Impie, siste gradus! clamat facialis, hostibus qui amica
 Foedera iam domitis patrat, tabulisque scripta ahenis
 Nomine cum Patriae aeterno aedibus addicat. Profane,
 Hinc procul, o procul! erumpit fidei agnitus decemvir
 Lumine, fatidici custos animi, tuis canentis
 Multa nepotibus haud falso bona, virginis Sibyllae ...
 Huc tamen appropiat Princeps! capri et aemulam petulci
 Pro Iove depositam barbam pretiosa acervat auri
 Pyxide nae stolidus! circum variatque margaritis ...
 Pompa fit: atque nimis mirum, fremitu vel icta risu
 Urbe palatia quod iamiam minime sonent ruinis:
 Terribiles itidem fasces corio gregis remittant
 Verbera, qui colit abrasos mage sordidus capillos.
 Numinis ad solium telo quianam igneo nec ustum
 Tonsile concidit hoc monstrum? hospitio et prius Phaontis
 Ante oculos neque transfixum iugulo inspicit sacellum?
 Princeps turpius huic numen sceleri pepercit!... Inde
 Quin Iovis aedibus obrizas locat improbae sacerdos
 Effigies Nero fortunae, putridi quo anhelat aestus
 Munera; recreat Augusta Superos, probante patrum
 Concilio, modo Poppaeae thalamum qua amor bearat.*

*Calcibus aggressor scurram, Deus, hunc, quibus repulsam
 Ad Stygiae iaciet fines rabie tumens Sabinam ...
 Nec facis? ah! ruat hic princeps, ruat et deus subulco
 Princeps et imperio dignus!... Fuit hei! fuit Latinae
 Candida religio gentis! Patriae inventae inertem
 Desidiam vigor exosae decus est perenne adeptus;
 Virgineas aditum turbas aluit focos amoris
 Non miseri in gremio expertas: generis superba virtus,
 Castus uterque chorus. Ferro validas manus Enyo
 Ad fera pro laribus proque aris subeunda bella struxit,
 Ubera dum pia Lucinae sobolem educabat aptam,
 Vilia terga prius quam det iaculis, neci voveri.
 Sic stetit in patria nomen, sacra numinum fideles
 Limina sic meruere ignes!... Nero, sordibus iocisque
 Desine, desine iam mundi caput aggravare Romam.
 Numina defugiunt euro leviora; sacrae ab alto
 Iustitiae iubar insanas abigit solo tenebras,
 Impete decrepitos versat populos novo refectos
 Stirpitus. Haud gladio plebi statui tumultuosae
 Tempora conspicient leges, animosque pane flecti
 Ludi et acumine circensis; vegeto ast cruento potas,
 Quae bene nata, per omne aevum moderari amore gentes.
 Has donat interea lignum! Capitolii potitur
 Dux pius arce, sub excelsa crucis arbore altus unda et
 Sanguine; laeta Tiberis Petri referunt fluenta signum;
 Praecipitem Iovis e saxo statuam, luti volutam
 Faece, rotant rapido cursu, maris imo inane pondus,
 Perpete cui insideat nodo trucium genus Neronom.*

THOMAS VIGNAS, S. P.

ARCHÆOLOGICAE RES

*De nobili eaque vetustissima statione nuper inventa
 Romae apud Montem Marium.*

Hactenus ager Montis Marii ad Ur-
 bem, fuit rerum Romanarum cupidis am-
 plissimum argumentum ad vetustiorem
 soli structuram inquirendam. Hoc enim

loco eruditissimi viri diu sunt
 mentem perclitati, in quibus Brocchi,
 Mantovani, Ponzi, aliquique principes in do-
 CTORUM exemplum enituerunt. Namque
 complura aderant monumenta, quae ex
 ipsa arena, regionem illam aquis olim
 aequoris occupatam fuisse comprobabant,
 atque haud ita multo ante, labentibus annis,
 humum foecundum tandem emersisse.

Iamdiu itaque id esse doctiores homines in Monte Mario autumabant; nostris vero temporibus res quaedam novissime casu effossae, de gravitate huiusc loci maximum argumentum perhibuerunt.

Innocentius Dell'Osso, praeclarus ille scientiae praehistoricae, quam dicunt, vindex, ingenium suum divinans sequutus, abhinc paucos menses, effodere illinc coepit quod antea ardentissime flagitabat.

Ut spes « pugnantes animis audacibus implet », sic suffragante potissimum Roberto Paribeni, qui agris effodiendis in provincia Romana preeest, ipse excavare instituit, et Deus audacibus annuit coeptis, quoniam signum aliquando adparuit hic fuisse *Aborigenum* sedem.

Res enim apud omnes liquet, priores Latii incolas ab Italia meridionali profectos locum obtinuisse ubi, longo post temporum spatio, Latium exstitit.

Aborigenum itaque immigratio, aetate aenea, quam appellant, haec esse videtur.

Apud Ianiculum, initio, ingenium frustra pericitatus, ad Montem Marium noster omni se contulit studio. Ibi vero opportunius ubi hac nostra aetate, nonnullae beatiorum villae aedificari coepitae sunt, inter Sancti Honifri stationem et dementium valetudinarium memoranda hominis inventa incipiunt. Ex quibusdam enim numeris cavis argillam tophi cum terra invenit...

Hinc in lucem feliciter prodierunt quae-dam Etruscorum vasa, et cava in navis formam diversa altitudine et latitudine, in hominum habitantium commodum. Hic fuit, ovans noster exclamat,

Hic fuit Aborigenum sedes!

Haud aliter Achates laetus Italiam primus conclamat, et

Italiam laeto socii clam-ic salutant.

Hoc enim habitationum genus aborigenes invexerunt, et ibi est propemodum rerum suarum promptuarium; hic adsunt

et coaxatio ex assibus contexta atque intermedia argilla expleta.

Ex continua harum fossarum frequen-tia arguitur in loco satis exiguo hic mul-tos habitatores fuisse eorumque praeclar-a virtus... Externa casarum constructio mode-sta adparet, et hic atque illic ipsi foci. In populis qui primum Italiam coluerunt ante Graecorum migrationem, haec ipsa casarum imago occurrit variae amplitudinis, in solida soli planicie. Hic quoque mos Italum viguit, qui ad mare habitarunt. Utrum haec fuerit *Aborigenum* sedes necne, quaestio adhuc sub iudice est. Verum citra dubium est, hunc morem ad aetatem aeneam, quam dicunt, admodum pertinere.

Constat inter omnes, Etruscos ad dexteram Tiberis partem incoluisse collesque adstantes, et primum cum Romanis pro hisce locis obtainendis acriter decertasse. Etrisci profecto hunc locum obtainuerunt pellentes. *Aborigenes*, eorumque casas destruxerunt, fossasque materie impleverunt, quae residua maneret... Et re vera nunc arma diversa effodiuntur vasaque ad aeneam aetatem pertinentia, quae optime cum illis componuntur, quae ex Graecis ad tertium saeculum ante Romam conditam spectant.

In uno vero eodemque tempore complura monumenta lapidea exstiterunt, cum magna congerie lapidis, ex quo arma ac domestica instrumenta erui possunt.

Haec domorum Etruscarum rudera optime cum monumentis componuntur, quae nuper effossa sunt apud Veium, cuius incolae priores horum locorum habitatores fuere. Omnes mihi facile concedent, haec omnia commodius duorum populo-rum certamina pro dominatu confirmare.

Etrisci enim Montis Marii, prima Veiorum acies adversus Romanos, quae maior in dies aderat omnibusque hostilior, multos adnumerabant heroes, grandioresque in acie, ut conspicere possumus ex sepulcris

nuper effossis. Sic equidem sepultra mon-tent; et Roma, laeta adnitente Innocentio Dall'Osso, hoc pulcherrimum omnium mu-nus videns, exclamare merito potest: En sepulcrum clarissimis viris dignissimum!

Adest enim in ima parte sepulralis portula ad aërem pellendum. Hoc in sepulcro ultiro quisque vasa mortuorum quaeritat, atque inter limum ossa heröum invenit, qui ibi fuerunt conditi

Hisce tamen inventis, memoratu equi-dem dignissimis ad Urbem, posthabitis, quae Innocentius Dell'Osso divinitus pro pemodum post diurnam oblivionem aequis aestimatoribus reddidit, maiori iterum studio ad vetustissimas reliquias in-quireendas audax ipse procedit.

Effossis itaque *Aborigenum* habitatio-nibus, quae ad ferream aetatem, quam appellant, pertinent, industrius antiquitatis vindex, ipsas populi domos ac sepultra invenire studet, quae ad aeneam aetatem pertinent, quum videlicet primum has re-giones ante Graecos petierunt. Optimum sane rerum futurarum praesagium sunt sepultra recentiora et foci, Siculis illis si-millima, qui *Aborigenis* antecesserunt.

Hoc vero opus vix inchoatum, mirum in omnibus de rebus antiquioribus inveniendis desiderium in dies suscitat. Quam obrem haud alienum esse putaverim, memorari, huic operum eventui optime profuisse efficax adiutorium ingeniumque Ottorini Paternostri, qui inter antiquitatis vindices maximi habet.

Haec itaque *Aborigenum* statio apud Montem Marium complures hic habuisse incolas testatur. Re enim vera, hic iam non est sermo de pagis casisque casu constructis, quemadmodum priores gentes facere consueverunt, sed de locis optime divisis in partes satis amplas, tamquam hic una mens esset, quae omnia ex consilio ordinat atque disponit. Verum popu-lum hunc in primis valuisse demonstrat, ipsa in aedificandis ligneis casis consue-

tudo. Quo facto sagaciorem gentem fortasse excipit, qui postea copiosius in Eri-dani Tiberisque vallem, volventibus prope-modum fluctibus, se se effudit; statuens, in hac nostra regione, priores populorum caetus veluti urbes, omnino ligneis assi-bus aedificatas. Hic est demum ille insig-nis *Terramaricolarum* populus, quem Aloysius Pigorini, italicae praehistoricae sapientiae nobilissimus Nestor, optime ap-pellat, praestantissimum omnium pro Ita-licis antiquitatibus decernendis monumen-tum.

Quapropter certa quaedam morum ac consuetudinum similitudo inter Aborigenes et *Terramaricolas* habebatur, quum priores ab Etruscis compulsi, regiones suas relinquere coacti ad laevam Tiberis ripam se se contulerunt. Et profecto in Tusculanis collibus ubi iamdiu *Terramaricolae* habebant, novum inter utrumque populum connubium adstitit, ex quo gens omnis Latina est prognata.

Ipse enim telluris tumultarius conges-tus ad Montem Marium omnium locorum illorum destructionem insimulat, ob Etruscorum impetum, qui, *Aborigenum* casis humi dirutis, novas sibi domos condide-runt.

Verum haec Etruscorum habitacula novum hostium incursum testantur. Namque ab aedificiis obtruncatis, erutisque sepulcris atque expoliatis et direptis, nos primas illas incendi flamas arguimus, quae Etruscos aliquando perderent, eorumque memorias in denso veluti velamine celant involvuntque. Quam vere populus hic iacet,

Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva!

Novissime tandem Romanarum aedium ordo occurrit, et deinceps per septemde-cim saecula tristis sequitur agrorum soli-tudo, usque ad faustissimum diem, quo homines recentiores, assidua novarum domorum necessitate adacti, insci ac for-

tuito in sedibus atavorum antiquissimis aedicare coeperunt.

Quo nomine nobis confidere liceat, haec recentiora et felicissima cava alacriter sapienterque continuata, insana illa destructione cupidine ablegata, quae hac nostra aetate mortales agitat, eam rerum antiquarum congeriem prolatura esse, ut Mons Marius aliquando sit sacrum nostrarum originum monumentum.

SENIOR.



EPSTOLARE SOCIORUM COMMERCII¹

Andreas Haberl S. V. D., Iosepho Fornari, doctori, sal.

Fateor me raro exspectavisse *Almam Romam* qua proximum numerum aviditate. Qui quum consuetudine serius adveniret, iam cooperam timere ne forte vel casu e curru vehiculario excidisset, vel, id quod peius est, consulto a cursoribus publicis ejectus esset. Sed tamen hesterno die redditur sarcinula, neque attinet dicere destricto extemplo lino mihi quaesitum esse nomen meum. Gaudebam tibi, quod proposuissest probari, et, licet vix emergam hoc tempore ex tot, quibus implicor, negotiis, negotiolum tamen hoc statim expediam.

Inprimis igitur valde mirabor illud, quod de lingua epistolarum ad te datarum confessus es. Indigna sane res! Scribi ad moderatorem Commentariorum Latinorum epistolas non latine. Sed hoc tempore, mihi crede, vitium est; non hominum tantum. Suis enim quemque rebus maxime delectari quotidie vides in pueris. In Europa autem, quum nationes singulæ suis maxime occupari cooptae essent rebus, institutis, legibus, et Ecclesiae Romanae a

quibusdam posthaberetur auctoritas, suam quaeque natio etiam linguam excolere maluit, quam communi contineri vinculo. Dicam aperte quod sentio; sed ita sentio, ut sententiam aliorum salvam velim et integrum: Decrevit cum studio verae religiosum studium et usus loquendi latine!

Sed quod multos homines generosos esse concedis, qui temperato suae nationis amore libenter patientur uti ceteros linguas orbis terrae, ipsi satis habeant legisse, quae ceteri scripserint: fortasse arcentur copia rerum obeundarum.

Plurimi tamen istorum sautorum sibi ipsi diffidunt, nec scio an iure hoc illi faciant. Non enim, mehercule, parva res est peregrina callere lingua, ut audeas etiam scripta edere, et quae multam sibi vindicent exercitationem. Fuit quondam hominibus litterarum bonarum studio deditis otium, ut se per annos continuos uni fere linguae Latinae addicerent, quorum nos iure miramur facultatem. Sed vide quot res hodie quamque difficiles a gymnasiorum discipulis extorqueantur!

Divexantur hi pueri octo fere annorum studio linguis Patria, Latina, Graeca, Gallica; premuntur historia, geographia, calculo, mathematica, naturali scientia, chimia, mineralogia, physica, musica: et miramur, si pluribus intentus minor est ad singula sensus? si tam pauci sint egregii in lingua Latina, illi fere, qui vel singulari praediti ingenio superent omnia, vel qui, mediocri quum se esse intelligent facultate, ceteris disciplinis plus minusve segregatis ad paucas incumbant? Ridiculum prorsus est quantulum spatium temporis v. g. Hispanus tribuat linguae Latinae.

Sed ne in librum abeat epistola, persequar cetera. *Esperanto* te dicis exspectare de die in diem. De hoc vero loquendi genere quid doctis sentiendum esset expressum hoc anno est in *Mercurio Rhenano*, qui commentarii eduntur in Germania.

Summa erat: *Esperanto* non posse evadere linguam universalem, quae dudum esset lingua Latina. Idem et ego et tu sentimus. Oro, hortor, rogo parochum, qui ista mecum, ut numerum Mercurii conquisitum traderet: me argumentum tam lepidum velle commune esse amicorum linguae Latinae. Sed mihi crede, agitur mecum, sicut non raro tecum: obliviscuntur homines quae propemodum se facturos nobis iuraverant. Neque tamen hac in re iam tota intercisa spes est.

Haec fere sunt, quae ultro lectis tuis litteris cooperam cogitare. Sed est quod mihi ad te scribenti nequaquam videatur reticendum. Iacet ante me responsio tua. A qua quum transmisi oculos in sinistram partem, in columnam tertiam, Mambretianum offertur in uxorem tuam elogium. Linguae Latinae adscribes, quod non in uno templo huius Germaniae, quamvis a tuo domicilio remoto, idem factum est, quod Mambretius Mediolani se facere praedicat. Vale.

S. Wendel (Saar), kal Dec. a. MCMXXI.

Iacobus Tasset Iosepho Fornari doctori salutem dico.

Oportunius eo communicationem hanc epistolarum exordimur, quum peremptus tam diu falso sermo noster declaratus, nunc e somno demum, rebus omnibus natura debito, exercefactus, futuri aevi resurgat ad usum. Res enim, post longa per linguae Latinae defectum facta certamina, est eo deducta, ut, si ille obierit, efferratur eius cadaver e schola, aut si, valet (quae nostra est voluntas), pari ratione atque ceterae linguae, propter se, voce menteque sua discatur, adhibeturque.


Cur tamen perpauci latina lingua scribant, causa est: omnes ea, nunc quae sunt in usu, linguarum gentilium certis exemplis atque conceptis verbis memoria te-

nere, quae nullo labore expromant; formas autem latinæ desiderare, quas operae magnæ, neque subitae est componere. Porro scriptores gentium et oratores honoribus atque divitiis cumulantur; latini vero quid reportant? Oppressa iam diu suisset mens recti conscientia, nisi audiat: *Qui seminant in lacrimis, in exultatione metent.*

Quo magis oportet, ut res, quae temporis nostri sunt in articulis, quibusnam verbis concipientur, scriptores doceant *Almae Romae* in exedra quasi considentes, hoc epistolarum commercio. Quibus autem sermonibus non quaestiones, nec loci desunt. Verum in primis: quo vadant hisce temporibus gentes et populi? Nam miserum illum vidistis equorum in tartaro cursum, quo prioribus c. tatis licet pedibus, non exsultant clunes. Huius humanitatis ille est gressus, quam stultam tunc, quum adolescebat, Erasmus, Rabelaesus, Cornelius Agrippa, Cervantes, Swiftus pinxere; nunc vero senilem videmus, nec magis sapientem.

Quo tandem, malis artibus et moribus furentes, rapimur *mathematica*, sed nihilo secus prava, *naturali philosophia?* Vale.

Turnoduri in Gallia, d. ix m. Decembribus MCMXXI.



COMMUNIA VITÆ

De officiis¹

— Modo sit dignitas mea incolumis (modo liceat dignitatem meam tueri; incolumem servare; modo ne cogar de dignitate mea decidere; modo ne dignitas mea mutetur; mea fama minuatur; laedatur; modo ne qua iniuria, damno, detimento honor meus afficiatur; modo ne quid iactrae honor faciat; ne quam iniuriam subeat,

¹ Cfr. fasc. sup.

¹ Cfr. fasc. super.

sustineat, patiatur; modo ne quid damni faciat honor meus; modo ne quid de dignitate mea detrahatur) fortunae detrimenta contemno (non recuso; nihil duco).

- Nova tributorum descriptione constituta (indicta; edicta; praescripta; firmata) imperata; iniuncta; irrogata) imposta mihi ea vectigalia sunt, quae pendere (pensitare; numerare; solvere) omnino non valeam. Quibus rationibus ea revocem? - Vectigal sum factus; unde me eximam? - Quomodo vectigal abrumpam (tollam; quomodo e vectigali immunem me faciam; me eximam; me liberem; me vindicem) quod grave nimis viribus meis est (grave nimis se praebet; ponderosum est; quod grave incommodum mihi affert; parit; valde importunum est; valde mihi incommodat)? - Novis hisce vectigalibus onus iusto gravius mihi est impositum (graviore sarcina sum oneratus; aequo amplius per vim urgeor; graviori quam ut par est onere premor (opprimor; obruor; conficio).

Agri mei (aedes meae) iam abunde vectigales fructuarii (fructuariae) erant (tributum solvebant; pendasbant; conferebant); nunc indictivum vectigal (tributaria pensio; functio; praestatio) ita adiactum est, ut foenus prope omne publico (rei publicae) cedendum sit. Hoc est iura distribuere? - In regenda (tractanda; curanda; gerenda) civitate, hoc est sibi pro civibus conscientiam proponere? - Hoc est cum ratione convenire (consentire)? - Hoc est iustitiam spectare (sequi; omnia ad iustitiam referre; propositam iustitiam habere; iustitiae servire; famulari; obsequi; iustitiam colere; exercere; hic est iustitiae locus)? - Hoc est recte atque ordine iudicare; (aequum et iustum iudicare; recta iudicia iudicare; aequa et recta iudicia exercere)?

Vectigal in ostia (ex ostiis; tributum ostiarium) onerosissimum impositum a municipibus est: an ignes extinctos faciamus ad illud solvendum?

Tributum in capita (ex capitibus singulis) constitutum est in nostro oppido agentibus (degentibus; habitantibus; incolentibus; versantibus); et aërem igitur praesentibus nummis solvemus? - Eo devenimus, ut capitatio quoque exigatur.

- Sic, amice mi, hodie vivitur (ea est hominum hodierna vita). - Ita quidem comparatum est. - Vitae nostrae haec ratio apprime comparata est! Tu tamen rem dicendo amplificas (verbis auges; sententias exaggeras; oratione diffundis; dilatas). - Rem oratione sublimem tollis et maiorem facis. - Rem pluribus verbis quam ut tibi conveniat prosequeris (fusius exponis; uberior explicas); non enim revera, in angustias es compulsus (ad incitas es redactus; tam acriter premeris).

- Iuratus tibi affirmo (iure iurando tibi policeor atque confirmo; omni asseveratione tibi confirmo) rem ita sese habere. - Ita me Deus amet (respiciat; iuvet; servet; tueatur; non deserat; non destituat) ut ego non mentior (ut vera dico). - Ita mihi a Deo omnia prospera contingent (optata eveniant). - Ita feliciter, quae opto, succedant. - Ita bene mihi sit (mihi propius sit Deus) ut verum protero. - Ita vivam (ita diu feli citerque vivam; ita diurna lucis usura fruar; ita sim salvis) ut vera sunt quae dixi. - Ne vivam (dispeream; moriar; male mihi Deus faciat; male mihi sit) si aliter dico ac sentio (si non vere iuro; si sacramentum verum non dico).

Ut sim de bonorum possessione de pulsus (deiectus; deturbatus; motus)? - Me bonis omnibus exutum (spoliatum)? - Videlicet fiscum possessiones meas adire (inire)? - In bonorum meorum possessionem veniat (se ponat) fiscus?

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

Fortitudo, si nulla necessitate cogente, aut non pro causa honesta certum periculum subierit, in temeritatem convertitur.

LACTANTIUS, lib. VI.

ANNALES

Washingtonensis conventus.

Washingtonensis conventus de armis ubique deponendis in disputationibus suis perdurat, neque adhuc ventum est ad unanimem aliquam sententiam tum de naval i quaestione, quam in superiore recensione nostra adumbravimus, neque pariter de terrestribus exercitibus minuendis. In hoc vero saltem est a Iaponia, Anglia, Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Gallia pactum constitutum, ne qua earumdem nationum in agmen descendat ob aliquam rationem, quae Pacificum oceanum respiciat, nisi prius alteram consultaverit. De oeconomica Europae restauratione factum quoque verbum est; eiusque examen ad alium legatorum coetum est demandatum, qui consulto proximi hisce Ianuarii mensis diebus, - positis primum rei fundamentis Londini, - Cannes in Gallica urbe congregabitur.

* *

Dissensio inter Angliam et Hiberniam composita.

Acris illa dissensio, quae tam longo tempore Hibernos ab Anglis dividebat, videtur tandem aliquando, neque sine magno labore et partium bona voluntate, composita. Hibernia scilicet apud Angliam eadem libertate in Europa fruetur, quam in Americis Canadensis natio obtinet: suus erit coetus legibus ferendis suique erunt administrati, qui coetui ipsi operum suorum rationem reddent. Britannici imperii copiae Hiberniae oras tuebuntur usque dum Hibernicus liber status ex sese rei occurtere potuerit. Hibernicum autem gubernium domi bellique Britanicis co-

piis usque concedet navales aëreasque facilitates omnes, quae opus fuerint; portus que tum Angliae tum Hiberniae navibus utriusque gentis patentes erunt. Exercitus denique ad Hiberniae defensionem iuxta exercitum Anglicum hominum numero et armorum vi componetur, habita scilicet ratione de utriusque populi necessitatibus. Circa vero Ulster provinciam id est cautum, ut si infra mensem a foedere rato habito, Ulsterianus duplex populi legatorum coetus contra ipsum suffragia sua dederit, administrativa Hiberniae protestas ad Ulster provinciam haud proficeratur.

Quamquam et huic pactioni De Valera, Hibernorum nunc praeses, valde adversatur, credendum tamen est, quum ex adverso Griffith, rerum ad exterios minister ei saveat, ipsam ab Hibernico populo iri confirmatam. Quod bonum, faustum fortunatumque sit.

* *

Oedenburgense populi scitum.

Quae reliquiae de Hungarorum cum Austriacis discrimine supererant circa Burgenlandicae provinciae possessionem, eae quoque compositae sunt per Oedenburgense populi scitum, cui ab utraque parte rei soluto demandata fuerat. Ex eo factum est, ut urbs et loca circum Hungaricae dicioni relinquenterentur.

* *

Ex inferiore America.

Ex inferioris Americae Guatimalensi civitate rebellio nunciata est, per quam militaris factio rei publicae Praesidem ut a munere recederet vi coegerit, administratos captivos fecit, et in imperii summam sese substituit.

Kalendis Ianuariis MCMXXII.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Ruit hora! — Quòd per orbem sunt, qui, maxime novo anno ex oriente, haec verba repetiverint? At nemo fortasse cogitavit quomodo haec hora, quam precipitem omnes sentimus, ex momentis sexaginta fuerit efformata, atque identidem singula momenta sua vice sexaginta momentis secundis constiterint. Ad Babylonenses scilicet mores usque recedendum est, ubi praeter numerandi rationem *decimalē*, ratio *sexagesimalis* vigebat, quae nempe per sexagenā procederet. Babylonenses enim negotiatores, exercitati homines, animadverterunt LX esse numerum, cui maxima divisorum series inesset. Quotidianum solis iter in XXIV *parasangas* partiebantur, DCCXX stadia efformantes. Unaquaque parasanga, sive hora, momentis sexaginta constabat, et, iuxta Babylonensium mentem, aequabat iter eodem temporis spatio a valido viatore factum. Hoc modo XXIV parasangae a solis arcu descriptae DCCXX stadia constituebant, seu gradus CCCLX. Ratio haec ad Graecos per Hipparchum pervenit, qui horam Babylonensem in Europam transduxit, anno circiter centesimo atque quinquagesimo ante Christum natum. Ptolomaeus, qui tria post saecula vixit, hanc rationem communem reddidit, eaque medium quod dicimus aevum supergressa, in columnis ad nos manavit.

Ita igitur *ruit hora*, atque interim *fugit irreparabile tempus*.

**

Qui **Anseris ludus** Bernerius hodie nobis offert, et has natalitii temporis noctes, pueros praesertim, occupat adhuc. Ludus ex illa volucri nomen sumpsit, cuius figura in lusoria tabula singulis novenis numeris iteratur, ad quam ut qui ossiculos ia-

ctando pervenit, ultra tot numeros procedit quot ossiculi fecerant. Ne vero lusor primo iactu ex novem punctorum summa, quae interciderit, ad victoriam recto trahite procedat, quae cum numero sexaginta tribus (septies novena) assequitur, sunt sedes duae, altera pro eo qui quinque et quattuor iecerit; alter qui sex et tria. Hisce ad Bernerium additis, ludum aggrediamur cum ipsis moralibus ab eo inductis monitis quibus - pignore certem - nemo antea mentem unquam applicuit ... neque postea applicabit:

Cum quaedam allicant oculos spectacula ludi, huius Musa vices, et documenta canit.

Crassior impressis impletur carta figuris;

Illarum triplici ex ordine constat opus.

Ad formam orbiculi, sunt circum signa rotunda,

Quae niger ostendit multiplicata color.

Sunt pictae interdum volucres; est Pontis [imago,

Cauponae et Putei, quin Labyrinthus adest. Proximus est Cancer, facies dein horrida

[Mortis: Ultima signorum est Ianua, et inde nihil.

Ossiculum duplex, quod parvae est molis, et [albūm

Quin et quadratum, lusibus hisce datur.

Sex numerat facies, et quaelibet, incipe ab uno Usque ad sex, nigri puncta coloris habet.

Clausa prius dextra ossa quatit; dein liberat; [illa

Labuntur, sistunt denique: puncta patent. Qui numerat plura, his reliquis praecedit in

[ictu: En ludit, signo tunc nova puncta notat.

Si in Pontem, aut Volucres numerus forte [incidit illic

Non sistit; replicat puncta, et iter sequitur.¹ Qui signum tetigit Cauponae, sistit in illo,

Et socium iactum bis replicare sinit.

¹ Qui vero in Pontem incidit, portorium ad procedendum solvit (Ios.).

Qui vero in Puteo, pariterque in Carcere sistit, Suspendens ludum, haud amplius ossa iacit; Ludere nec poterit, socius ni liberet ipsum: Alter quippe loco ponitur alterius.

At qui signa tenet Labyrinthi impervia, mutat Hic retrocedens, per tria puncta, locum.

Is qui puncta iacit, numerum quae Mortis [adaequant,

Prima ad signa redit, ludere ut incipiat. Praemia sed tandem, felici qui prior ictu

Sistit ubi picta est ianua, victor habet. Humanae est vitae cursus sub imagine ludi:

Ipsis a nugis discere saepe iuvat. Nascimur, et luci vix lumina pandimus, et iam

Incipimus primos connumerare dies. Protinus en oculos lacrymarum flumina mer-

[gunt:

Prima aetas iuvat, haec pontis ad instar erit. Crescit adolescens, corrumpit crapula mores,

Cauponam ingrediens, hīc manet ille diu. Foedus in illuvie vitiorum, sistit in illa:

Quisnam hunc in puto se posuisse neget? Vivit in ancipiiti, mentem huc deflectit, et illuc,

Quae velit ignorans, hīc labyrinthus adest. Aetas dum crescit crescunt, quoque criminis

[adultus Detentus scelerum carcere, mancipium est. Incidit in rigidam post mille pericula mortem;

Declinare senex ultima fata nequit. Si reus occumbit, clauditque in crimen vitam,

Aeternae it praeceps mortis in exitium. Mortis at innocuus si punctum evadit, eunti

Ad Superos Caeli ianua lata patet.

**

Locosa

Pater Tuccio:

— Heus tu! Ad cursorem publicum eas ab eoque exigas epistolam, quae mihi « in diribitorio firma » destinata est.

— Non quidem intelligo quemadmodum epistolae, quae, ut firmae in diribitorio permaneant, missae sunt, ceteris tradantur!...

Tuccius ad strenam nataliciam tympano donatus est, quod magno cum strepitu pulsat, dum pater dormit. Itaque mater graviter eum obiurgat:

— Non semel te monui a strepitu tibi esse abstinentem dum pater somno indulget! ..

Cui Tuccius:

— At si tympanum tundo dum vigilat, is vicissim gravibus me ictibus percutit!

**

Aenigmata

I.

Candoris si forma mei tua lumina mulcet, Me rigidum vultu frigus habere scias. Non male sustineo ut videor neglecta relinqui In triviis quando ex aethere labor humum. Qui blandis tractat manibus, me sentit atro-

[cem,

Dumque tenere cupit, tunc ego stricta fluo. E manibus fugio velox, ut labilis humor; Ut citius fugiam, dum tenet, ille iubet. Solvor in humores et manans fluctuo semper; Frigida de gelido corpore lympha cadit. Nec stabilem sumunt mea membra soluta fi-

[guram;

Ignem ubi conspicio, membra liquore fluunt. Tempus, quod tandem consumit cuncta voraci Dente, genitricis dat mihi membra meae. Et quod priorem mihi fert in pectore poenam, Ne moriar, claudor viva sepulta specu.

II.

Imperat ut cedas prior, et stas cum advocatione [alter. Junge; duo prodeunt: Omen - Amica Iovi.

Aenigmata in fasciculo mens. Dec. MCMXXI proposita his respondent: I) (vulgo *Rebus*): Prae - saepe; 2) Do - mus; Re - mus; Mi - Mus; Si - mus; Mus; Do, Re, Mi, Si. Iosfor.

LEO IV

9

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

Et ipsi venient laeti propemodum,
 Qui vos et vestras vertemus divitias,
 Quas in superbis conditis palatiis.
 Tollemus statuas argenti et aureas,
 Quas aestimatis in plateis positas,
 Magnum sunt Romanae civitatis decus.
 Leo, nos pectori dolor tuo sumus;
 Salus si Romae merito tu diceris,
 Nos, qui ruinam machinamur odio,
 Romae raptore nominemur optime.
 Tuo da plausum, da Leoni gloriam!
 Vobis quid Urbi, valla, fossae iuverint,
 Mox, mox videbitis! Furor quid con-

[gerit!

Eamus!

SERVUS. Citius!

OMNES: Romae pernicies!
 Et ipsi cives nobis auxilium ferent,
 Sic nos ornavimus cuncta bellissime.¹

EXPLICIT ACTUS PRIMUS.

ACTUS II.

SCENA I.

CONSTANS, *indutus lacerna.*CONST. ² En me videtis, sed novis si vestibus
 Indutum, semper antiquis me moribus.
 Ero meis usque firmus principiis,
 Et Afer in primis, quod est vaferimus,
 Quoad meis niger malis erit color.
 Vocor nec Constans ego latine perpe-

[ram.

Agam post mortem forte sycophantias.
 Meis nam Publum sic illusi insidiis,
 Ut inter milites securus ambulem.
 Ornata, bellule parata, tragula
 In caput Publum creduli decidet.¹ Exeunt.² Versus ad spectatores.

Dixi medullis totis me Pontificem
 Amare et insuper venire ab Africa
 Ut armis causam eius defendarem.
 Ero sed Iudith Holoperni gladius.
 Et ipse clausis oculis hoc creditit.
 Et amplius! Viris me praemisit ceteris,
 Quibus res omnium dedit confidentior.
 Quot ipsi gratia me totum cumulant,
 Quibus muneribus, quibusque honori-

[bus!

Quid vobis dicam? Quidquid est in

[precio;

Mihi nam clavis crediderunt oculis,
 Scivi sic omnes astutiis vincere;
 Ero nunc plenior romanis opibus;
 Mei laudabunt cives me prudentia, ...
 Mihi ne dummodo desim in posterum.
 Novi quot milites, quibus sint meritis,
 Quot et mucrones, lanceae, gladii,
 Erunt quot duces cum magistris equi-

[tum,

Inter quos numeror, mea modestia.
 Mei sed socii, quicum Romam vene-

[ram?

Ii sunt etiam gregarii milites,
 Potestis et vos eos nunc cognoscere.
 Res ita nostra currit bene in exitum.
 Multi sunt magni consilii socii,
 Nobis auxilio praesto erunt plurimi,
 Merent Pontificis qui nunc stipendia.
 Dolum securi tutius conduxi mus,
 Ut ordiremus subdolam fallaciam.
 Me monumento decorabit patria!
 Mox, mox huc omnes socii convenient,
 In hisce commodis aulis Pontificis ...
 Arctis tam duximus dolis negotium! ...

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.